

44 DE RATIONE LEGENDI

CAUSAE EFFICIENTIS NATURALIS, nota frequens est ablativus naturâ; ut, *Deus Pater gignit Filium naturâ. Pater & Filius Spiritum sanctum spirant naturâ. Apes mellificant naturâ.*

CAUSAE VOLUNTARIAE nota est, quum quis dicitur facere vel fecisse quidpiâ voluntate, volens, voluntariè, ultrò, sponte, datâ operâ, studio, liberè, libenter, promptè, consilio. ut, *Macedones ultrò cõtulerunt eleemosynam. 2. Cor. 8. 23. Deus facit omnia ex consilio voluntatis suæ. Ephes. 1. 11. Deus creavit mundum voluntate. Homo peccat voluntate, non coactione.*

CAUSAE AGENTIS CASU sunt notæ peculiare, Quum quis casu, fortunâ, invitus, imprudens, ignorans, inscius, fortè fortunâ, fortuito, imprudenter, ignoranter, nihil tale cogitans, aliquid fecisse dicitur, vel intelligitur: ut 1. Tim. 1. 13. *Me misertus est Dominus: nam ignorans id faciebam, nempe fidei expers.*

CAUSAE COACTIONE AGENTIS, sunt notæ singulare, quum quis coactione, coactus, vi impulsus, violentiâ adactus, quidpiam fecisse vel facere dicitur. *Eleazarus cogebatur vi diducto ore suillâ carne vesci. 2. Machab.*

*Hactenus enumeravimus notas causæ efficientis: sequitur*

CAP. VI.

*De notis materiae.*

MATERIAE vel causæ materialis notæ sunt.

1. Quum